

ea reuocare possit, ille vero, si amplius concedere dignari velit, instructus sit necesse est, atque rogatus, vt sciat, cui concedat. Princeps concedit vniuersitati priuilegia in bonis, non qua possidet, sed qua vniuersitas est. Hinc ad alium possessorem libere transferri nequeunt. Praeterea cuius consensus necessarius est in constituendo, eiusdem maxime requiritur in dissoluen- do. Vbi consensus vtrinque declaratus, ibi pactum. Pactum non dissoluitur, nisi omnium contrahentium, non vnus dissensu. Idem hic adesse, nemo dubitat, dum Princeps ad peti- tum consentit, aut quod magis dicendum, concessit, vt prae- cipuis prae aliis perfruantur iuribus. Hinc in dissolutione eius iure requiritur consensus, quod, cum et omni iure con- uenit, etiam venerationis Principi debitae est, vt ea dissoluan- tur illo consentiente, quae eius clementia erecta fuere.

§. VIII.

Adduximus iam iam reipubl. interesse, vt locupletibus flore- at subditis; status enim Principis eo magis crescit, aera- riumque eius diuitiis abundare potest, si domus priuatorum quoque sint opulentae, et plena ciuium serinia. Sceptra et gubernacula vero tenens, id persecuturus, non alia via adire potest hanc felicitatem, nisi ipse statum subditorum cognoue- rit; alias leges ferre non valet incrementum promouentes sub- iectorum. Praesertim corporum, vniuersitatumue opes tuen- dae sunt, quae et urgente casu suppetias ferre possunt, et ad florem prouinciae maximum conducunt. Crescit enim indi- es, et floret Prouincia, in qua ciuitates aerario auro, argen- toque impleto inueniuntur praeditae, in qua rura colentes non solum casas diuitiis impleverunt propriis, sed etiam communi- bus pollent opibus. Suadent publica salus et politica, vt haec felicitas conseruetur, atque augeatur, et huic scopo semper in- uigilat